



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

18. An, & qualiter induci & concurrere possit duplex vacatio, præcipuè ex eadem persona ejusdem beneficii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

quod onus probandi reservationem ratione mensis spectet ad provivum Apostolicum, fundantem se in vacatione in mense Apostolico. Gonz. *ibid.* n. 38. & seq. unde etiam habens facultatem providendi beneficia reservata ob vacationem in mense Apostolico, seu reservato in aliqua diocesi vel urbe, ad hoc, ut valeat ejus provisio, tenetur probare vacationem contigisse in mense Apostolico, alias excluditur provivus ab illo. Gonz. n. 42. citans Put. *decis.* 35. l. 1. & additionem ad Simonet. *tr. de reserv.* q. 3. n. 6. vide dicenda inferius, ubi de probando obitu narrato.

Questio 16. Qualis debeat esse vacationis notitia in ordine ad hoc, ut censeatur elapsus terminus, datus ad presentandum & conferendum?

Respondeo: debet esse indubitata; ubi enim tractatur de puniendo negligentia alicujus, non sufficit scientia presumpta, etiam ex eo, quod publicum est. Lott. *l. 2. q. 6. n. 24.* citans Put. *decis.* 142. n. 2. l. 1. Lap. *alleg.* 78. n. 12. &c. quatenus autem hac scientia vacationis pendet ex arbitrio iudicis, is in statuendo desuper considerare debet qualiter beneficium, modum vacationis, locorum distantiam, & ex his omnibus arbitrabitur scientiam, vel ignorantiam vacationis. Lott. *loc. cit.* n. 25. citans Jo. And. *in c. ex parte, de concess. prob.* n. 2. Abb. *in c. diversitatem. tit. cod.* n. 7.

Questio 17. An vacatio inducatur ex persona habente solum jus ad beneficium?

Respondeo negative. Gonz. *gl.* 15. §. 2. à nu. 2. Lott. *l. 3. q. 8. nu. 132.* citans Vitalin. *in Clem.* 1. ut *lit. pend.* nu. 47. Put. *decis.* 144. nu. 1. l. 1. &c. Siquidem, ut desumatur vacatio ex parte personae, oportet ex parte ejusdem personae fuisse plenum, quale non dicitur nisi respectu illius personae, cui de eo facta est canonica institutio. Lott. *cit.* n. 132. juncto n. 16. sic v. g. dum presentatus ante institutionem, electus ante confirmationem moritur in curia, non intrat reservatio, AA. iidem. Paris. *de resign.* l. 7. q. 1. n. 85. ubi: quod si electus talis moriatur in curia Rom. per ejus obitum non vacat beneficium, neque in curia, neque extra illam, sed per obitum primi; per electionem enim vel presentationem, cum non acquiratur jus perfectum, non dicitur plenum beneficium, nec extincta prima vacatio, sed adhuc vacat beneficium ut prius, & ideo non vacat per obitum electi, vel presentati. Gonz. *loc. cit.* citans *gl. fin. v. collatio. in c. penult. de prob.* in 6. Rot. *decis.* 6. n. 2. de elect. *in novis. Navar. conf.* 17. de celebratione miss. n. 2. Covarr. *in qq. pract.* c. 36. nu. 7. Pavin. *de poss. cap. sede vac. prel.* 7. n. 16. &c. Et licet eo momento, quo defungitur electus vel presentatus, redintegretur tempus datum electoribus ad eligendum, & patronis ad presentandum, juxta *c. si electio. de elect.* in 6. & ad hoc reputetur quasi nova vacatio, ut Rota apud Put. *cit. decis.* 194. ad finem. attamen in effectu nihil profus de novo vacat de jure vel de facto, juxta Seraph. *decis.* 1446. à num. 1. & 2. & Rotam *in Aquitanens. Prioratus.* 21. Febr. 1625. Lott. *loc. cit.* n. 133. Similiter dum is, cui collatum beneficium, moritur ante ejus acceptionem, non vacat beneficium ex persona illius. Lott. n. 137. Gonz. *nu. 6.* citans Old. *conf.* 57. durare siquidem pergit prima vacatio, cum per collationem, donec absens

illam ratam habuit, jus in beneficio, ut suum dici valeat, non tribuatur, juxta *c. si tibi absenti. de prob.* in 6. Gonz. *loc. cit.* & provisio consumens praecedentem vacationem non aliter effectuatur, quam si concurrat consensus provivi. Lott. *nu. 139.* Idem statuendum, dum moritur is, qui habuit gratiam seu mandatum simplex de providendo in forma dignum. Gonz. *loc. cit.* n. 1. & plenius *nu. 58.* Lott. n. 138. citans Rotam *in Burgenf. Canonic.* 28. April. 1597. Cum enim ea forma nondum verificata & executâ, ex persona impetrantis possit contingere, ut is propter incapacitatem & insufficientiam rejiciatur, non potest videri interea jus illi quod quaesitum in beneficio, adeoque ex persona illius induci vacatio. Lott. *cit.* n. 138. Adde quod forma dignum (sub qua dantur literae pro his, de quorum habilitate nullum Papae exhibetur testimonium) non dat provisionem, sed mandatum de providendo, & inter eam & provisionem est differentia, qualis est inter venditionem, & promissionem de vendendo, quâ promissio nulli dominium transfert. Lott. n. 139. & 140. ex Cassad. *decis.* 1. n. 6. ut *lit. pend.* Idem est in ceteris casibus, in quibus acquiritur solum jus ad beneficium, quorum decem assignant AA. Gonz. *loc. cit.* n. 1. qualiter autem inducatur vacatio ex persona commendatarii perpetui, qui non tantum jus in beneficio habet, vide *quest. seq.* Porro inducitur vacatio ex persona habentis jus tantum ad beneficium, non tantum in ordine ad effectum, ut intret reservatio *reg.* 8. sed etiam quo ad alios effectus, & in specie etiam in ordine, ut intret reservatio *regula.* 3. & 31. et si in dictis regulis apponantur verba illa: seu ad qua jus eis comperit, vel compererat. Gonz. *cit.* §. 2. nu. 4. citans Mand. *in reg.* 3. & 81. q. 13. & Rotam *decis.* 427. n. 4. & 5. p. 1. *divers.* contra An. de Falcon. *de reserv.* q. 4. effectu. 47. n. 1. & n. fin. &c.

Questio 18. An, & qualiter induci & concurrere possit duplex vacatio, praecipue ex eadem persona?

1. Respondeo primo: impossibile est ex una, eademque persona duas induci vacationes. Lott. *l. 3. q. 15. n. 8.* & beneficium, quod vacat ex persona unius, non potest ex eadem persona rursus vacare, non superveniente post primam vacationem novo titulo. Paris. *de resign.* l. 12. q. 14. nu. 35. Gonz. *gl.* 15. n. 145. ubi: quod si beneficium vacavit ex uno capite, non potest postmodum vacare ex alio sequente (intellige respectu ejusdem personae) cum fuerit jam jus totum ab illa abdicatum aut ablatum, & consequenter ex sequente capite nihil potest vacare; cum tunc nihil juris amplius habuerit in beneficio. militat enim hic communis regula: quod prima vacatio impediatur sequentem. *c. susceptum. de rescrip.* in 6. Lott. *cit.* nu. 8. & 9. 14. n. 62. *cod. l. 3.* Gonz. *gl.* 15. nu. 144. sic, v. g. dum quis, postquam ipso jure privatus est beneficio ob contractum matrimonium vel crimen; antequam dimitteret possessionem beneficii illius, moreretur, beneficium illius, quod jam vacaverat per admissionem criminis, vel contractum matrimonium non vacat denuo per obitum illius. Gonz. *loc. cit.* num. 143. nisi forte vacatione de facto, de quo hic non quaeritur; sed solum petitur, utrum duplex vacatio ejusdem generis, v. g. dum utraque est vacatio de jure, concurrere possit.

2. Sic dum infirmus resignans moritur ante vigesimum

gesimum diem post factam resignationem, non datur duplex vacatio, una ex resignatione, altera ex obitu resignantis, sed una tantum per obitum. Lott. l. 3. q. 15. n. 20. citans Sarnen. in reg. 18. Cancell. Seu in reg. de 20. seu de infirmis. q. 35. Put. decis. 105. n. 2. l. 2. sed neque in hoc casu dici posse, dari resignationem unam veram, nempe per resignationem, & alteram fictam ex principis decreto; nempe per obitum talis resignantis ante vigesimum diem, probat *ibid.* Lott. a. n. 9. ex eo, quod impossibile sit non tantum in naturalibus, sed & civilibus cum fictione (quæ nullum habet aliud subiectum, quam assumptum indubitata falsitatis pro veritate, ut liquet ex ejus definitione apud Bart. in l. *stis*, qui pro emptore. n. 21. & Jason *ibid.* n. 168. de *usucap.*) concurrere posse ipsam veritatem; adeoque ut Lott. *nu.* 14. si in hoc casu sustineatur actus resignationis, adeoque ex ea secuta vera vacatio, non datur terminus habilis pro inducenda fictione vacationis per obitum; cum fictio, tamen contra veritatem intendatur perpetuo, versetur nihilominus circa possibilita, ut Alciat. de *presumpt.* p. 1. in principio. n. 2. & Menoch. *tr. cod.* q. 8. n. 7. & 32. vide de his pluribus Lott. l. 6. a. *nu.* 30. & dicenda à nobis infra.

3. Sic ex obitu commendarii etiam perpetui (tamen in perpetuo concedatur jus percipiendi redditus, illosque vendendi in usus proprios, & sic videatur commenda hæc fortiri vim provisionis; & licet videatur adhuc titulus imperfectus, imperfectio tamen illa non consideretur respectu plenitudinis ipsius beneficii, quod jam detinetur ab eo ex titulo Canonico, sed respectu cuiusdam plenioris provisionis retentæ in mente Papæ commendantis beneficium. Lott. l. 3. q. 8. n. 126. & 128.) aut aliâ cessatione commenda non inducitur nova seu secunda vacatio de jure, sed antiqua quasi reviviscit. Lott. l. c. n. 123. & *nu.* 91. ubi: quod, quamvis beneficium commendatum per mortem commendarii ita vacare censeatur, ut impetrari possit, tamen quod pertinet ad personam commendarii id necessario referendum est ad vacationem de facto distinctam à vacatione de jure, quæ semper eadem est, quæ prius; citat pro hoc Put. *decis.* 22. *nu.* 4. & per tot. l. 1. quia tamen hæc vacatio juris ut prius respectu ipsius tituli conservatur, simulque datur ex persona commendarii vacatio de facto; per hoc non excluditur, quodominus ex cessatione ipsius commenda perpetua jam resultet vacatio solida, id est, tam de jure, quam de facto simul. Lott. *cit.* n. 123. Verum de hoc quoque alibi.

Questio 19. Qualiter consumatur vacatio?

1. Respondeo primo: non consumitur per provisionem in formâ *dignum* ante examen, & approbationem, seu executionem. Lott. l. 3. q. 8. n. 134. Tond. p. 1. c. 87. n. 21. & constat ex dictis paulo ante.

2. Respondeo secundo: neque consumitur per provisionem de facto, hoc est, illegitimam, & de jure nullam. Lott. l. 3. q. 20. n. 119. sic etiam non consumitur vacationem per presentationem, etiam subsecuta institutione (idem est de collatione) contra mentem fundatoris tradit Tond. *loc. cit.* n. 20. quidquid sit de eo, ut ibi Tond. num. cesset per talem provisionem vacatio in ordine ad tollendam reservationem. Sic etiam per provisionem apostolicam, v. g. factam per legatum ipso jure nullam, non consumitur vacatio. Tond. *loc. cit.* n. 23.

3. Respondeo tertio: neque per legitimam, seu

collationem de jure necdum acceptatam (idem est de electione ante confirmationem & presentationem ante institutionem, ut constat ex dictis paulo ante) sed, tum demum, ubi est acceptata collatio. Lott. l. 3. q. 14. n. 61. & plenius l. *cod. q. 1. n. 19.* Gonz. gl. 15. §. 2. n. 31. idque etiam ante capram possessionem. Gonz. *ibid.* citans Gomez. *ad reg. de triennali. q. 3. n. 2. & 3.* Simonet. *de reserv. q. 55.* Put. *decis.* 146. n. 4. l. 2. & c. Item ante literarum expeditionem (etiam, dum ante eam moritur provisus) expirat prior vacatio per signaturam supplicationis (modò tamen subsecuta sit acceptatio, ut monet Lott. mox citand. n. 19. & seq.) Cum per hanc, tanquam Papæ rescriptum gratia sit perfecta. Lott. l. 3. q. 1. n. 16. citans pro hoc n. 18. Mand. *ad reg. 27. q. 13. n. 4.* Simonet. *loc. cit.* n. 11. Garc. p. 4. l. 2. n. 14. & c. accidens sic perpetuo sensisse Rotam, est Cancellaria opinetur contrarium. Gonz. gl. 15. §. 2. n. 32. subdens tamen n. 33. hæc intelligenda, quando supplicatio est registrata, & parti tradita; eò quod prius non detur jus aliquod considerabile quaesitum, & de facili possit talis supplicatio signata lacerari; citat pro hoc Gomez. *ad reg. de non tollendo jure quas. q. 20. in fine.* Paris. *de resign. & c.* & quidem expirat post dictam signaturam ante expeditas literas prior vacatio cum omni effectu, etiam respectu vinculi reservationis aut affectionis prius injecti beneficio. Lott. *loc. cit.* n. 17. ita ut, si provisus à sede Apostolica de beneficio reservato post signaturam & registratam supplicam decedat extra curiam in mense ordinario, possit Ordinarius collator de illo beneficio disponere. Gonz. *loc. cit.* n. 34. juxta dicta ab eod. gl. 15. §. 1. n. 34. Secus tamen dicendum, nimirum vacationem non consumi ex tali rescripto seu signaturâ, etiam securâ acceptatione & registratâ supplicâ, si in supplicatione (ut fieri solet, quando rescribitur, etiam pro præsentate in curia) adjecta esset clausula: & committatur in formâ *dignum*, live dum rescriptum esset in forma *dignum*, Lott. l. 3. q. 8. n. 141. citans Bellam. *decis.* 608.

4. Respondeo quarto: vacationem non consumit per commendationem beneficii. Gonz. gl. 15. §. 2. n. 20. inferitur & constat ex dictis q. *precedente.*

5. Respondeo quinto: per unionem beneficii cum alio validam consumitur, seu extinguitur precedens vacatio, quin & tollitur in futurum. Lott. l. 3. q. 8. n. 85. & 86. per unionem siquidem ingreditur vacatio, & in consequens collatio, ita ut unioni nihil magis repugnet, quam suppositio status collativi. Lott. l. 1. q. 28. n. 164. & unitum beneficium nunquam dicitur vacare. Gonz. gl. 15. §. 7. n. 7. sed neque, si semel facta validè unio dissolvatur denuo, reviviscit prior beneficii vacatio, quæ vacabat ante unionem factam, utpote quæ jam semel consumpta est in perpetuum, non secus ac ipsum beneficium unitum absolute deductum ab esse ad non esse per dictam unionem extinctivam tituli beneficii. Tond. *cit.* n. 24. Lott. *cit.* q. 8. n. 88. sed quemadmodum per dictam dissolutionem unionis factæ in perpetuum confurgit novum, sed aliud beneficium, ut Felin. in c. *cum accessissent. de consuet.* n. 33. & auctores communiter in clem. *ultim. de rescrip.* Lott. l. 2. q. 8. n. 88. ita etiam confurgit nova ejus vacatio: contra, suppositâ & declaratâ nullitate dictæ unionis, perseverat semper prior seu antiqua vacatio. Gonz. gl. 15. §. 2. *nu.* 79. Lott. l. 3. q. 8. *num.* 87. Tond. p. 1. c. 87. *num.* 24. citans Seraph. *decis.* 1309. n. 2. sic quoque per unionem seu suppressionem beneficii, quæ non est in perpetuum